





1. Olearij s. Gottfr. / diff. de Morte et vita  
 Sidellum cum Christo, Lipsia 1710.  
 2. Olearij s. Joh. / diff. de correptione  
 Concionatoria, Lipsia 1684.  
 3. ————— diff. de Lachrimis Christi sub  
 ingressum Hierosolymorum fusis,  
 Lipsia 1683.  
 4. ————— diff. de resurrectione spiritua,  
 li Lipsia 1698.  
 5. Oporini s. Joach. / programma de Demon,  
 ratione Spiritus ac virtutis.  
 6. ————— diff. de usu docto Simplici,  
 fato contra scepticos, Goettinga 1738.  
 7. Ortlob s. Joh. Christopher / diff. de Samue,  
 le Iudice et propheta non pontifice  
 aut facerote iudicante Lipsia  
 8. ————— diff. de pacto Davidis et Abneri  
 contra Iacobum, illico, Lipsia 1709

*b. 19.*

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**METHODO**  
**THEOLOGIAM**  
**TRADENDI**  
**DEMONSTRATIVA,**

*QUAM,*  
*P RÆS I D E*  
**CHRISTOPH. MATTHÆO**  
**P F A F F I O**

S. THEOL. DOCT. & PROF. PRIM. UNIV. CANCEL-  
LARIO, ECCLESIAE P RÆP O S I T O

*ad dies 16. & 17. Julii Anno MDCCXXXVI.*

*horis locoque consuetis*

*P U B L I C E D E P E N D E N T*

M. WILH. ULRICUS SCHMIDT, Rommelshuf.

M. JOH. CHRISTIAN. STORR, Heilbronn.

S. Theol. Studioſi in Illuſtri Seminario Theol.

---

*T U B I N G Æ,*  
*literis JOSEPHI SIGMUNDI.*

# DE MONSIR RAY TRADITION THEOLOGIA METHODO

CHRISTOPH MAGNUS  
PRAEFAT

*MAXIMILIAN* auch *MAXIMILIANUS*

1870-1871



**H**

Heologia Christiana est systema veritatum  
divinitus in sacris literis vel *scripturis*, vel  
*scripturis* revelatarum, religionis à Chri-  
sto traditæ placita complectentium.

2.

Methodus demonstrativa est ratio, è veritatibus vel  
indemonstrabilibus, vel ex his demonstratis alias per con-  
sequenties legitimas, eo, quo par est, ordine catenatim  
deducendi, notionibus ubique, prout opus est, & licet,  
fixis adhibitis.

3.

Principia demonstrationis sunt vel veritates philoso-  
phicæ, vel experientiae indubiaæ, vel autoritas fide digna.

4.

Cum in definitione Theologiae supponatur sacrarum  
literarum divinitas §. 1. methodus vero demonstrativa  
poscat, ut nihil supponatur, nisi demonstratum §. 2.  
ante omnia Theologo Demonstratori divina Scripturæ  
§. autoritas demonstranda est.

A 2

5. De-

5.

Demonstratio hæc fit tūm per rationes è Theologia naturali petitas, quæ & necessitatē & criteria veræ revelationis pandit, dextramque eorum ad revelationem Christianam applicationem, tūm per experientiam spiritualem indubiam, quā in contemplatione veritatum revelatarum divinam lucem, certitudinem & efficaciam percipimus. Istæ Scholasticis *motiva credibilitatis* sunt, hæc Theologis nostris *testimonium internum Spiritus s. audit.*

6.

*Supposita semel demonstrataque sacrarum literarum divinitate omnes propositiones ualidæ in sacris literis existentes axiomata & veritates primæ sunt, ex quibus deinceps reliquæ ex ordine & catenam veniunt erundæ. Nec est, quod ajas, unam subinde propositionem Biblicam ex altera sequi. Neque enim impedit hoc, quod minus & illa sit axioma, ut pote.*

7.

Cum Theologia sit sistema veritatum revelatarum  
§. I. patet, principium Theologiæ unicum esse autoritatem Dei revelantis.

8.

Quod cum ita sit, & hoc patet, methodum demonstrativam Theologicam à methodo demonstrativa philosophicâ ratione principiorum prorsus abludere, atque in hoc saltem convenire, quod ex primis veritatibus semel positis deinceps reliquæ legitimè, catenam & ex ordine deducendæ sint, atque ejusmodi tradendæ verbis, queis notiones determinatæ affigantur, quantum opus est & licet.

9. Diö-

## 9.

Dicimus, quantum licet. Cùm enim in literis sanctioribus tradantur quoque mysteria, captum humanæ rationis superantia, aliæque veritates verbis ad notiones certas haud prorsus determinatis, nec ultra Scripturam sacram mensuramve revelationis sapere heic liceat, nulla heic evidentia major claritasve affectanda est, utpote beatæ æternitati reservata i. Cor XIII. 9. sqq.

## 10.

Concludere hinc est, quid sentiendum sit de effato Philosophi recentioris: *Quando philosophia nostra, inquietis, in Theologiam universam infuet, nihil in ea amplius occurreret obscuri, quod non penitus intelligatur. Nimium profectò est, quod sibi sumit Vir acutus.*

## II.

Cùm propositiones ualà qñlè in sacris literis extantes demonstrationi haud subjaceant propriè loquendo, sed fidei, atque axiomatum loco sint, ante omnia requiritur, ut beneficio regularum interpretationis Biblicalium docetur, hunc præcisè sensum, non alium, verbis & expressionibus Biblicalis competere, & notiones, quas iisdem tribuimus, easdem esse, quas scriptor facer habuit.

## 12.

Fiet hoc, si primò significationes vocum sacrarum generales, secundò phraseologiam & idiotismos Bibliicos, tertio circumstantias, in quibus positus fuit scriptor facer, scribendique rationem ipsi familiarem five propriam five figuratam & symbolicam probè calluerimus, quartò significationes vocum & phrasium in se indifferentes

rentes ex contextu ritè determinaverimus, quinto loca  
obscuriora ex clarioribus datâ operâ hanc vel illam ve-  
ritatem pudentibus adeoque Scripturam ex Scripturâ  
(luorum enim verborum quivis optimus interpres est)  
explicaverimus, & ob eandem quoque rationem ora-  
culis V. T. non alias affigamus notiones, quam quas  
Christus & Apostoli, quas Spiritus S. illis affixit.

## 13.

Cum mediantibus hisce regulis hermenevticis expli-  
cationes effatorum Biblicorum certas & evidentes dare  
sæpiissimè non liceat, explicationes certas à probabilitibus  
& incertis, meris conjecturis innitentibus, atque in pro-  
babilitibus quoque gradus probabilitatum probè distin-  
guet Theologus Demonstrator.

## 14.

Cùm in Theologia dogmatica veritates καὶ ἐπίλευται re-  
velatae loco axiomatum sint, atque ex his aliae legitimè  
ex ordine & catenatim sint deducendæ §. 6. patet 1. ve-  
ritates καὶ ἐπίλευται revelatas loco axiomatum heic futuras  
debere esse certas, ex effatis Biblicis, quorum certus est  
sensus, notionesque determinatae, desumptas, 2. ex hisce  
veritatibus alias, in illis virtualiter latentes, per legitimas  
consequentias, deducendas, adeoque 3. & in Theologiâ  
nihil assumendum esse, nisi quod antecedenter demon-  
stratum sit, denique 4. eo ordine naturali collocandas  
esse veritates, prout una ex altera sequitur, atque una  
alteri lucem demonstrationis adserit.

## 15.

Cùm Theologia dogmatica sit systema veritatum  
revelatarum §. 1. patet, ostendendum esse tūm, qui una  
alteri

alteri haud contradicat, tūm, quī una cum alterā amico  
nexu conjungatur. Præstantissimum fuerit illud syste-  
ma, quod scripturis sacris maximè congruum, quod  
simplicius est, quod minoribus præ aliis difficultatibus  
premitur.

## 16.

Cum notiones veritatum Theologicarum in Theo-  
logia dogmatica debeant esse fixæ, quantum licet §. 2. 8.  
metaphoricis heic expressionibus non indulgendum, sed  
ad proprias & determinatas notiones illæ revocandæ  
funt. Id quod & de metaphoricis & figuratis Scripturæ  
§. dictionibus dictum esto.

## 17.

Cum notiones, quas è scripturis sacris eruit Theo-  
logus dogmaticus, eadem esse debeant, quas Scriptor  
facer habuit §. 11. non licet in Theologiam intrudere no-  
tiones philosophicas, nisi evidenter probaveris, illas in  
sacris quoque literis vel evidenter rationis principiis  
fundatas esse. Caveat sibi heic Philosophus sectarius,  
ne notiones peregrinas & deceptrices in Theologiam inve-  
hat, & Theologiæ tanquam directrices obtrudat. Nihil  
cum principiis ejusmodi sectariis, quorum falsa demon-  
strationis lux est, commune esto Theologiæ, nec com-  
mittendum, ut Philosophus heic quadrata rotundis mi-  
scat. Nec tamen hæc nostra mens est, philosophandi  
libertati injicienda frena. Sed hoc est saltē, quod  
volumus, quod largimur,

*suā ut se jactet in aula*

*Eolus & clauso ventorum carcere regnet.*

## 18. Cū

18.

Cum fides divina infundatur per virtutem Spiritus S. quam contemplando veritates sacras in nobis experimur §. 5. patet, eandem praeceps per demonstrationes & syllogismos non gigni, quod & experientia testatur. Gignitur enim subinde & sine ipsis per veritates divinas singulares, queis divina vis & efficacia inest ad convincendos animos, etsi quoque non connectantur systematicè.

19.

Cum Theologia polemica refutet errores veritatis divinis sive *revelatae* sive *natura diabolorum* revelatis contrarios, nulla vero refutatio sine demonstratione fieri possit, utique & heic methodum demonstrativam esse ineundam patet.

20.

Fiet hoc, si primò errores adversariorum & maximè *errantia* eorundem *ψευδη*, distinctè intelligamus, imò & confusas illorum notiones ritè evolvamus, si secundò falsas eorum de veritatibus, quas defendimus, notiones detegamus, si tertio dogmata illorum veritatibus divinis probè stabilitis contraria esse ostendamus, si quartò effata Biblica, tūm quæ pro nostra citamus thesi, tūm quæ illi pro suā citant, à falsis illorum expositionibus vindicemus, si quintò momentum errorum, quos refellimus, eorumque ad salutem habitum probè determinemus, si sexto errores illorum sibi invicem contradicere ostendamus, si septimò doceamus, supponere eos non demonstrata, si octavo falsas illorum consequentias eviceremus, si nonò notiones deceptrices, quas è Philosophiâ

sophiâ in Theologiam invehunt, in exilium agamus. Quæ primo & secundo loco ponimus, inservient ad evitandas logomachias & ignorationes elenchii, statumque controversiæ ritè ponendum, imò & ad Theologiæ polemicæ irenicam tractationem, cui & subtervit, quod loco quinto diximus.

## 21.

In Theologia morali eadem utique, quæ in dogmàticâ, demonstrandi ratio est. Omnes enim propositiones scripturariorum huc pertinentes prima sunt principia, quorum demonstrationem non petit Theologus de divinitate sacrarum literarum convictus. Nec tamen est, quod refragemur, si Theologus Demonstrator Theologiae moralis systema ita componat, ut quædam principiorum ponat loco, ex quæs reliqua catenatim eruat atque deducat, nexusque adeò veritatum moralium ostendat systematicum. Opus saltem est, ne à Philosophia deceptrice mutuetur inanes ideas, simplicitati & veritati fidei contrarias. Jam & nolim heic virtutes Christianas æstimari ex solis motivis. Neque enim ad illas motiva ex naturâ Christianismi deducta sufficiunt, sed opus est, ut actio spiritualis per virtutem Spiritus S. in nobis perficiatur. Quod restat, Theologia, quæ vocatur experimentalis, ad moralem utique referenda est, uti & mystica atque ascetica.

## 22.

Ita nullum quoque est dubium, in Theologiâ casuali ex certis principiis certa eruenda esse consecaria, quantum licet. Jam enim & heic nudis subinde probabilitibus

B

tibus insistendum esse res ipsa docet. Principia philosophica rite demonstrata & in Theologia valere casuali quis dubitaverit? Velim & illa adhiberi in Jurisprudentia Ecclesiastica, ita quidem, ut principiis Theologicis subordinentur, ut par est.

## 23.

In Theologia homiletica vel sermonibus sacris ad populum dicendis notionibus distinctis operam dandam, textum juxta regulas interpretandi exponendum atque legitimas ex eodem rite exposito formandas esse consequencias tum theoreticas tum practicas nemo est, qui unquam inficias iverit. Nullum est dubium, & heic plurimum subinde peccari ab Homiletis, uti & in dissertatione de rectâ Theologiae homileticæ conformatione dudum doluimus, ubi regulas tradidimus, queis recte observatis artificium homileticum idque spirituale constat. Sed & tum peccari videoas ab Homiletis, si methodi demonstrativæ regulas generales ineptè applicent. Id quod fit, si definitionibus rerum per se clararum auditores fatigent tediumque intelligentibus moveant, si abstrusis deductionibus philosophicis absque ratione inhient, si & novis indulgeant terminis phrasibusque, quarum sensum ex mente inventorum non intelligit plebs. Non est possibile, ut vanas ejusmodi declamationes vel instructio atque convictio, vel ædificatio auditorum spiritualis sequatur.

## 24.

Cum in historia Ecclesiastica omnia ad fidem Historicorum atque rectam eorum, quæ ab ipsis referuntur, intelligentiam reducantur, patet 1. Opus heic esse historia

historia literaria, quæ scriptores ecclesiasticos quorumvis seculorum ex ordine pandit, 2. opus heic esse arte criticā, quæ docet, foetus genuinos à supposititiis & lectio-nes veras à spuriis distinguere, quæ & criteria pandit, ex quibus liquet, quanta & qualis fides huic vel illi scriptori habenda sit, 3. opus hīc est, ut sensum eorum, quæ ab Historicis enarrantur, rectè capiamus, atque easdam animo formemus notiones, quas Scriptor, quem legimus, habuit, nihilque illis vel demamus vel addamus, easdem & figamus, quantum per verba, quæ exstant, licet. Ast & 4. opus hīc est, ut, ubi de traditione quādam antiquā five dogmaticā, five rituali, five hierarchicā quāritur, nec tempora nec Ecclesias confundamus. Scilicet plurimūm heic peccaverit, qui ex hujus vel illius seculi, hujus vel illius Ecclesiæ Patre, qui sui temporis, suæ Ecclesiæ placita narrat, demonstrare contenderit, dogma hoc vel ritum fuisse olim ab Ecclesiâ ubique receptum, qui soloecismus sanè scriptoribus historiæ ecclesiasticæ modernis valdè familiaris est. Quando verò & 5. judicium pragmaticum de hisce vel illis factis ecclesiasticis antiquis formandum est, ex præjudicio Ecclesiæ, quam quisque profitetur, adeòque studio sectæ heic absit ut agat Theologus Demonstrator, sed opus est heic quām maximē, ut ex sanis principiis, tūm Theologicis, tūm Philosophicis sanum eruatur judicium. Jam verò & in hoc historiæ ecclesiasticæ studio momentum & gradus probabilitatum, ex quibus solis subinde agi potest, probè attendenda sunt. Itaque ergò & hīc, quantum potest, demonstratur, quæ certa non sunt, suo loco, qui illis debetur, relinquuntur. Certè enim non potest excuspi vel postulari demonstratio, ubi non datur.

Uno verbo, nullum est dubium neque unquam dubitatum fuit à Theologis sanæ mentis, in Theologiâ rite tradendâ opus esse attentione, ideis claris & distinctis, quantum licet, demonstratione solidâ, ubi haberi potest, methodo, quæ in demonstratione ordinem servat, & harmoniâ veritatum systematicâ. Nihil heic à recentioribus vel dicitur vel inculcat præcipui, quod non & olim fuerit dictum & inculcatum, & quod natura negotii non inculcat vel postulet. Nec tamen & inutile est, sed vel maximè proficuum, bis ac ter monere & inculcare, quod pulchrum est, deciesque id repetere, modo id sine supercilio & vanâ præsumptione aut vano aliorum contemtu fiat. Ita velim sanè, ut Theologus dogmaticus, Moralista, polemicus, Homiletæ ad omnia, quæ ponit, scribit & inculcat, probè attendat, num rigorem inquisitionis logicæ patientur, num principia, quæ ponit, certa sint, num, quæ ex illis deducit, conseq̄taria, legitimè sequantur, num in deductionibus suis eum, quo par est, servet ordinem, num notiones fixas ubique adhibeat vocumque, queis utitur, sensum rite determinet, nec ne, num, quæ supponit, & ex quibus arguit, demonstrata sint, num, quas ponit, definitiones sint claræ & distinctæ claramque & distinctam definiti notio nem animo ingerant, ex quibus & cætera ad illud spectantia prono alveo sequantur. Ita si processerit Theologus, erit sanè Demonstrator, & procedet in veritatibus divinis tradendis, quantum licet, scientificè. Sed &c, ubi non licet, demonstrationes fundere, sincere id fatebitur, nec ex pumice aquam extrahere contendet, aut violentiam rebus adhibebit.

26. Jan

26.

Jam verò gnaviter impudens fuerit, qui statuerit, Theologos hactenus in tradendâ Theologiâ nullas dedit demonstrationes, vel nullâ prorsus usos demonstrativâ methodo, quam Theologia postulat vel fert. Intolerabilis hæc vanorum hominum, quos pruritus demonstrationis mathematicæ sine ratione vexat, queis miserrima subinde ratiocinia, contra communem sæpiùs sensum militantia, demonstrationes audiunt, qui & capere nolunt, qui pro ratione disciplinarum demonstrationum ratio & fontes varient, queis & ipsis impossibile est, ob objecti tradendi irreceptitatem Theologiam methodo tradere mathematicâ, calumnia est, animos imperitorum & novitatis perverso fascinorum studio miserè illaqueans. Peccatum hoc est in Theologos, quod Philosophi committunt, qui suis Theologiam vellent ancillari chimæris.

27.

Certè, qui hactenus méthodo scientifica hos vel illos articulos fidei tradere, vel hæc vel illa Scripturæ sanctioris loca explicare sibi visi sunt, si quid egere, nihil egere præcipui, sed per longas atque inutiles ambages vel tandem dixerit id, quod ubique obvium est. Pertinet ad istas ambages, quod ~~na~~ à ~~en~~ principia videoas præsupponi philosophica, quæ nemo negat, definitionesque dari terminorum per se clarorum nulli usui futuras. Risum hoc movet sapientibus, vel tussim ciet. Nonne ridiculum fuisset, si in dissertatione hâc thesi primæ, quæ Theologiæ Christianæ definitionem dat, præmissem, B. 3. quid

quid Theologia in genere, quid Systema, quid veritas, quid divinum, quid sacra literæ, quid *ἐπιθετικόν*, quid *διάνοια*, quid religio, quid Christus sit? Nonne hoc fuisse, lude re operam? Sed videmus, ista defungi hodie passim Philosophos demonstrantientes. Jam & ridiculum fuisse, initium facere thesium harum à principio contradictionis, quod vocatur. Præsupponimus hoc in omnibus, quæ fundimus, ratiociniis tacitè. Idem hoc est, ac si Argentorato Lutetiam contendens Moscuam prius abi ret, ut per longos terrarum tractus intermedios Lutetiam abire posset. Judicii hic est & summus quidem defectus.

## 28.

Nullum est dubium, demonstrationes Christi & Apostolorum ex libris V. T. defumtas *veras esse*, non *spurias*. Næ verò is risum intelligentibus moverit, qui dixerit, methodo demonstrandi mathematicâ illos heic usos fuisse vel haud processisse scientificè.

## 29.

Sed nec Leibnitius, qui in *Causâ Dei* compendiolum Theologiæ suum exhibuit, hanc methodum affectavit sapiens, vulgari usus, quam vocant.

## 30.

Jam &c, qui beneficio commentorum suorum Philosophorum rationes veritatem à merâ revelationis autoritate pendentium, mysteriorum maxime dare, atque ex unâ propositione primigeniâ totum Theologiæ Chri-

Christianæ systema deducere contenderit, nñ is ineptissimum fixerit Theologiaz systema, dederitque orbi

*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen adempit.*

31.

Hem verò, quām inanibus spectris pascitur mundus noster, quem demonstrationis mathematicæ rigorose ubivis applicandæ misera in transversum agit ambitio. Phantasiaz profectò in transversum per ambitionem istam actæ morbus hic est, hanc *ius ἀλογόνος* committere μετάβασιν, sed & prona ad Deismum via, si demonstratio-nes mathematicas in Theologiâ postulaveris, quarum hæc non est susceptibilis. Triste effati hujus documentum nuperrimus dedit Mosaicorum librorum, Germanus is novusque interpres. Si numeri saltem, queis ci-tantur anteriora, adsint, si peregrinæ saltem notiones & termini appareant novi, queis in terras incognitas deducitur admirabundus lector, si pulvis saltem iste objiciatur oculis, jam confecta scilicet! est demonstratio.

32.

Quām verò & patitur doletque sub spectris hasce ubique pererrantibus Ecclesia! Miseram illam, si demon-strationibus haec tenus caruerit & per casum saltem fortui-tum felicem, quòd sine demonstratione haec tenus pro-fessa fuerit fidei orthodoxiam!

33. Felicio-

33.

Feliciorem eandem, si demonstratio Spiritus & virtutis  
 I. Cor. II. 2. latifundia Theologiae nostrae pervaserit.  
 Qui lumen Spiritus S. quod tantâ cum efficaciâ animos  
 & corda tangit, experitur, idemque & aliis insinuare  
 valet, is demonstrabit spiritualiter, is fidem infundet di-  
 vinam, licet profundissime ignoret methodi mathema-  
 ticas rationem & regulas.

34.

Sufficiet ipsi demonstrationis Theologicæ ea ratio,  
 quam supra insinuavimus, & cuius solius Theologiam  
 esse susceptibilem sol loquitur.

T A N T U M!





00 A 6314

56.

4

41





DISSE<sup>19</sup>TATIO THEOLOGICA  
DE.  
**METHODO**  
**THEOLOGIAM**  
**TRADENDI**  
**DEMONSTRATIVA,**  
QUAM,  
**P RÆS I D E**  
**CHRISTOPH. MATTHÆO**  
**P F A F F I O**

S. THEOL. DOCT. & PROF. PRIM. UNIV. CANCEL-  
LARIO, ECCLESIAE P RÆP O S I T O

*ad dies 16. & 17. Julii Anno MDCCXXXVI.*

*horis locoque consuetis*

*P U B L I C E D E F E N D E N T*

M. WILH. ULRICUS SCHMIDT, Rommelshuf.  
M. JOH. CHRISTIAN. STORR, Heilbronn.

*S. Theol. Studiosi in Illustri Seminario Theol.*

*T U B I N G Æ,*  
*literis JOSEPHI SIGMUNDI.*